



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. III. De Irregularitate ex defectu lenitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

præbet aliquid noxium infirmo contra medici præceptum, aut consulit, aut tradi mandat, etiamsi fiat titulo pietatis, ne infirmus diu patiat? Tertio, magister, qui in ira percutiendo discipulum ob correctionem excedit modum percussionis, unde sequitur mors? Quarto, qui reficiendo, exempli gratia, tectum, projicit tegulam, unde viator occiditur? Quinto, qui niveis pallis glacie confectis hyemali tempore sese petunt, unde sequitur mors? Sexto, qui custodit domi feram, quæ alios occidit? Septimo, qui publicat adulterium Bertæ, unde occidatur a suis? Octavo, qui joci causa terrorem incutit Bertæ peregrinanti, unde sequitur abortus? Nono, si quis intendens occidere Petrum, occidat Paulum? Decimo, si adulter deprehensus in adulterio est in causa, cur uxor a conjuge occidatur? Undecimo, qui immoderate rixatur cum muliere prægnante, unde abortiatur? Duodecimo, si quis aliquem non lethaliter vulneret, & tamen deinde moriatur? In quibus, & similibus casibus alii aliter juxta dictas opiniones respondent.

ARTICULUS III.

De Irregularitate ex defectu lenitatis.

- I. Qui ad homicidium, necnon ad mutilationem concurrunt in bello justo; Necnon etiam in judicio, tanquam minister justitiæ, irregularitatem incurrit ex defectu lenitatis.
- II. Quinam excusentur ab hac irregularitate incurrenda?
- III. Minoribus Ordinibus insignitus si se immisceat in causa sanguinis, quamvis irregularitatem incurrat, non tamen peccat: secus vero Beneficiatus, aut in sacris constitutus.
- IV. Accusator in causa criminali, secuta morte, quandoque incurrat hanc

irregularitatem, si non protestetur, se non intendere pœnam sanguinis?

- V. Quomodo fieri debeat talis protestatio?
- VI. Pariter irregularitatem incurrit Procurator, & Testis concurrentes ad mortem, non secus ac accusator. Probabiliter tamen excusatur Testis, quando jure naturali tenetur ferre testimonium.
- VII. Judex irregularitatem incurrit, quamvis teneatur jure naturali rem dammare, quia sponte tale munus sumpsit; secus vero Testis, & accusator, quando jure naturali tenentur testificari, & accusare.
- VIII. Clericus in causa sanguinis solum in sui favorem potest testificari, præmissa protestatione; non tamen in favorem alterius, etiamsi a Prælato id sibi præcipiatur.
- IX. Qui in bello justo animant alios ad occidendum generatim hostes, irregularitatem non incurrit. Num sint irregulares, qui ad bellum justum procedunt animo pugnandi, quamvis neminem occidant, aut mutilent, nisi in defensionem propriæ vitæ?
- X. Alium occidens in sui, vel suarum rerum defensionem, cum moderamine inculpata timela, nec peccat, nec irregularitatem incurrit. Quid autem requiratur, ut id fiat cum tali moderamine?
- XI. In Sacris constituti, si Chirurgiam exercent incidendo, & inurendo, peccant, sed irregularitatem ex defectu lenitatis non incurrit. Num etiam Beneficiatus id veteretur?
- XII. Num possit Episcopus in hac irregularitate dispensare?

I. Irregularitates ex defectu recensuimus artic. 1. quæst. præced. Sunt enim ex defectu vel animi, vel corporis, vel natalium, vel ætatis, & libertatis, vel Sacramenti, seu ex bi-

ga-

gamia, vel ex infamia, vel demum ex defectu lenitatis. Incipimus ab hac ultima, ut luculentius appareat, in quo differat irregularitas ex homicidio, ac mutilatione injusta ab hac irregularitate, quæ nullum delictum præsupponit, & dicitur esse ex defectu lenitatis. In sequenti deinde articulo perstringemus reliquas irregularitates ex defectu.

Incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis, qui concurret ad homicidium, vel mutilationem, tanquam Minister publicus justitiæ, & qui in bello justo aliquem occidit; immo etiam si mutilet, ut docent communiter apud Leand. de Irregularit. tract. 1. Unde fit, quemlibet Judicem Papa inferiorum ferentem sententiam mortis, vel mutilationis, ejusque assessores, cooperatores, satellites, comprehendentes, & torquentes reum, Notarium scribentem, vel legentem sententiam, &c. hanc irregularitatem incurrere; Non vero famulum transcribentem sententiam a Judice dictatam, nec Confessarium, aliumve, qui hortando, ut damnatus scalam ascendat, vel alio simili modo accelerat alicui mortem, ut aperte docet Escob. in Summa cap. 5., cum in jure hæc irregularitas ministris tantum justitiæ imponatur: Nec Doctor, qui interrogatus a Judice, an debeat reum morti tradere, respondet, quod debeat; Nec qui persuadet reo, ut justæ sententiæ acquiescat, quam non potest sine injusta appellatione differre; quamvis Bonac., & Avil. id non admittant.

H. Est tamen irregularis Judex Ecclesiasticus, qui Reo in carceribus detento cibum ita diminuit, ut citius moriatur; quia hujusmodi sententia æquivaleret sententiæ sanguinis, & mortis, ut notat Bonac. ex Molin.: Judex autem Ecclesiasticus, qui degradat Clericum, & eum tradit brachio seculari puniendum, non est irregu-

laris: Nec Inquisitores Sancti Officii, qui tradunt aliquos Judici seculari comburendos, etiam si nullam præmittant protestationem, ex Bonac. hic contra Con., Et idem dicas de Accusatoribus, & Testibus; cum in eo Tribunali id permittatur: Nec Princeps secularis, vel Clericus habens jurisdictionem temporalem ratione patrimonii, aut beneficii, &c., si constituat Prætores, & alios Officiales, qui causas sanguinis inquirent, & delicta puniant; Immo nec si mandet in aliquo particulari casu justitiam fieri: Secus vero si mandet executionem sententiæ jam latæ; quia tunc directe juberet reum occidi.

III. Hic tamen advertite ex Bonac., quod si Laicus, vel Clericus minoribus Ordinibus insignitus intromisceant se in causa justa sanguinis, non peccant; irregularitatem tamen incurrunt ex defectu lenitatis, eo quod non possint repræsentare Christum, qui lenissimus, & mitissimus fuit: Contra vero Clericus Beneficiarius, aut in Sacerdotio constitutus non solum incurrunt hanc irregularitatem, sed etiam peccat mortaliter; cum violet prohibitionem Ecclesiæ in re gravi.

IV. Queritur nunc primo; An Accusator in causa criminali, secuta morte, vel mutilatione, hanc irregularitatem incurrat?

Respondeo affirmative cum Bonac., Ugolin., & aliis, dummodo non accuset, petendo satisfactionem pro injuria sibi, vel suis propinquis illata, & protestetur expresse, se non intendere pœnam sanguinis: Etenim ad servandum seipsum indemnem, licitum est alterum juste accusare: Si enim Clericis permittitur alios in tali casu accusare absque incursum irregularitatem, facta protestatione dicta, ex cap. *Prelatis, de Homicidio*, ne scilicet injuste patiantur injuriam, a fortiori id permittitur laicis; Quod si pro-

protestatio omittatur, procul dubio irregularitas incurritur, ut communiter docent Doctores: Immo etiam incurritur, secuta morte, irregularitas, si accusetur reus pro injuria non sibi, vel suis propinquis, &c., sed alteri extraneo illata, quamvis præmittatur protestatio, ut notat Avil. disp. 5. dub. 11.

V. Protestatio autem his, vel similibus verbis fieri debet coram Judice, apud quem deponitur querela: *Domine peto, cures satisfactionem, vel restitutionem exhiberi mihi a Petro, qui mihi damnum intulit, protestorque, me nulla ratione intendere poenam sanguinis, mutilationem, vel mortem*; Quæ protestatio non est opus, ut scripto fiat; & satis est, ut sit solum externa, & ficta, ut docent communiter; quia Ecclesia non imponit irregularitatem ob internum animum, & desiderium mortis, sed propter omissionem protestationis; ut videre est apud Bonac., & Avil. Quod diximus de Accusatore, dicas de Advocato, & Testibus necessariis, ut accusatio habeat debitum effectum. Idem etiam dicas de clamante, detinente comprehensum malefactorem, & tradente illum Judici laico. Requiritur etiam dicta protestatio ex Avil., quando Prælatus vocat brachium seculare in defensionem Ecclesiæ suæ; Non tamen quando quis alium accusat ad avertendum malum imminens sibi, vel suis, vel Reipublicæ; cum enim ad id teneatur jure naturali, non incurrit irregularitatem; si id faciat, & mors sequatur, quoties aliter tale malum præcaveri non potest; ut idem Avil. notat dub. 11.

VI. Rogabis hic primo; Utrum Advocati, Procuratores, & Testes, qui concurrunt ad mortem, non ad avertendam propriam, vel suorum injuriam, sed alienam, incurrant irregularitatem, quamvis protestationem

Pars VIII.

præmittant?

Respondeo cum Bonac., & Avil.; quod incurrit, non secus ac Accusator; Quamvis probabiliter hanc irregularitatem non incurrat Testis, qui jure naturali tenetur testificari. Exempli gratia, ad liberandum a morte injuste accusatum, vel ne puniatur poena talionis, qui injuste accusavit reum machinantem contra Rempublicam, & deficit in probationibus; Nec qui ex metu gravi testificatur; sicut enim metus gravis excusat a censuris incurrendis, ita & ab irregularitate. Nec demum Consulens, ut plurimi docent apud Dian. par. 11. tract. 2. resol. 63.

VII. Neque dicas: Judex quamvis teneatur damnare reum, adhuc irregularitatem incurrit; ergo etiam testis, & accusator, quando jure naturali tenentur accusare, & testificari.

Nam concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia Judex ipse se injecit voluntarie in eam obligationem, quando sponte sumpsit officium; secus vero testis, & accusator.

VIII. Rogabis secundo; An Clericus possit cogi ad testificandum in causa sanguinis a suo Prælato?

Respondeo, Clericum in sui favorem posse testificari, præmissa protestatione, etiam in causa sanguinis citra irregularitatem; At contra reum testificari non potest in causa sanguinis, cum sit illi prohibitum; Quod si detur ei a Prælato licentia, immo si illi id præcipiatur, non debet obtemperare, ex D. Th. apud Avil., cum nemo possit cogi ad illicitum.

IX. Quæritur secundo; Quomodo ex bello justo hæc irregularitas contrahatur?

Respondeo, pugnantem in bello justo, & alium occidentem, vel mutilantem irregularitatem incurrere, ex cap. *Petitio tua, de homicidio*; Immo

B b qui-

quicumque ad bellum, sive iustum, sive iniustum procedit animo pugnandi, videtur irregularitatem incurrere, cum exponat se periculo proximo homicidii; ut docet Bonac., & Suar. disp. 40. sect. 5. contra Con., & Avil. disp. 5. sect. 3. Qui tamen ad bellum iustum procederet, sed non animo pugnandi, ac deinde alium in defensionem propriae vitae occideret cum moderamine inculpatae tutelae, irregularitatem non incurreret. Qui consulunt iustum bellum Principi, & qui hortantur milites ad fortiter pugnandum in bello iusto, non sunt irregulares, dummodo non hortentur ad occidendum aliquem in particulari; Praeterea non sunt irregulares, qui assistunt bello iusto, vel custodiendo sarcinas, vel animando alios, dummodo ipsi neminem mutilent: Contra vero, id si faciant in bello iniusto. Disparitas est, quia quamvis in utroque casu, qui animant milites occidentes, sint causa moralis homicidii; At in cap. *Petitio, de homicidio* excipiuntur ab irregularitate incurrenda etiam qui in bello iusto vulneraverunt, modo non occiderint, nec dubitent occidisse, ut notat Bonac. Praeterea Clerici non possunt sine facultate etiam in bello iusto pugnare, nisi cogat necessitas defendendi Rempublicam; si tamen de licentia Pontificis pugnant, secuta morte, non evadunt irregulares, ut communiter Doctores docent, cum non sit credibile, Pontificem velle, ut Clericus pugnet, & irregularitatem contrahat.

X. Quaeritur tertio; An irregularitatem incurrat, qui in sui, vel proximi, vel rerum suarum defensionem, alium occidit, vel mutilat?

Respondeo, nec peccatum, nec irregularitatem incurri, si occiso fiat cum moderamine inculpatae tutelae: secus vero si sine tali moderamine; Incurritur enim tunc praeter peccatum

irregularitas ex delicto. Ut fiat autem cum moderamine, requiritur Primo, quod vis ab altero iniuste inferatur; Quare qui occidit satellites, a quibus iuste invaditur, peccat, & irregularitatem incurrit. Secundo, ut occiso fiat in ipso actu aggressionis, quando scilicet moraliter incipit aggressor aggredi, nec aliter potest proprium damnum evitari; tunc enim vis vi repellitur; Quare aggressor nec potest praeveneri, cum non inceperit tunc vim inferre; nec potest post factam aggressionem occidi; quia tunc vis cessavit. Tertio requiritur, ut invasus probabiliter credat sibi vel periculolum vulnus, vel mortem, vel aliud grave damnum infligendum, nisi vim vi repellat; Quarto, quod non possit aliter se defendere; Si tamen potest vel clamore, vel fuga non ignominiosa, vel solo vulnere inflicto damnum sibi imminens declinare, peccat occidendo, & irregularitatem ex delicto incurrit; cum non servet moderamen inculpatae tutelae.

XI. Quaeritur quarto; An incurrat irregularitas per exercitium medicinae, vel chirurgiae?

Respondeo, laicum non incurrere irregularitatem, si eam exerceat juxta regulas artis, quamvis membrum aliquod abscindat causa sanitatis, & quamvis mors sequatur sine culpa gravi.

Nec Clericus, etiam beneficiatus, peccatum, aut irregularitatem incurrit, si officium Medici, & Chirurgi exerceat juxta regulas artis citra abscissionem, & adustionem; cum id nullo jure sit ei vetitum: Prohibetur tamen Clericis majoribus Ordinibus initiatis mederi abscindendo, vel adurendo: Utrum autem id etiam prohibeatur Clericis minoribus Ordinibus insignitis, si beneficium habeant? Negant Bonac., & Molin. contra Avil.: Si tamen Clerici in Sacris ordi-

nati, necessitate compulsi, exempli gratia, tempore pestis, quando alius deest, incidant, vel adurant, irregularitatem non incurrunt, cum non peccent; Nec incurrunt, si secundum regulas artis jubeant incisionem, vel adustionem; Nec si applicent emplastrum mollificativum, quo apostema aperitur, etiamsi mors sequatur sine gravi culpa; Nec qui adjuvat chirurgum abscedentem membrum infectum.

Addo ex Bonac. contra nonnullos, quod si Clerici in Sacris constituti exerceant officium medici, & chirurgi, incidendo, & inurendo, peccant quidem contra prohibitionem, sed non incurrunt irregularitatem, nisi mors ex propria culpa sequatur; cum irregularitas ex defectu lenitatis solum a ministris justitiæ incuratur; & ab iis qui occidunt vel mutilant in bello justo.

XII. Queritur demum; Quisnam possit in irregularitate ex defectu lenitatis dispensare?

Respondetur, solum Pontificem, & Prælatos mendicantes, qui privilegium habent dispensandi in omni irregularitate cum suis religiosis, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & mutilatione, ut dicemus de Bigamia. Putant tamen multi apud Dian. part. 4. tract. 2. resol. 69., & part. 7. tract. 2. resol. 26., & 27., quod etiam Episcopus possit in hac irregularitate dispensare.

ARTICULUS IV.

Perstringuntur aliæ Irregularitates ex defectu.

I. Qui ante legitimam ætatem ordinatur, non est irregularis, sed suspensus, si mala fide Ordines susceperit: Quod si bona fide, non incurrit suspensionis censuram; ne-

quit tamen illos exercere.

II. Quisnam dicantur ex defectu libertatis irregulares.

III. Num ex debito pecuniario incuratur aliquando irregularitas ex defectu libertatis.

IV. Triplex datur Bigamia inducens irregularitatem ex defectu significationis, Vera, Interpretativa, & Similitudinaria. Interpretativa habetur quadrupliciter: Similitudinaria vero per duplex matrimonium, alterum carnale, alterum spirituale cum Christo per votum solenne Castitatis, saltem in professione Religiosa, si minus in Ordine Sacro.

V. Potest Episcopus dispensare in Bigamia similitudinaria; At in interpretativa solum quando est occulta. Mendicantes ex suis privilegiis possunt in bigamia cum suis subditis dispensare.

VI. Irregulares sunt omnes infames tam infamia juris, quam infamia facti: Tollitur infamia facti per emendationem vite continuatam per triennium. Infamia juris raro admodum a Pontifice dispensatur.

VII. Solemnis pœnitentia olim irregularitatem inducebat.

VIII. Num illegitimus occultus sit irregularis ex defectu natalium? Tripliciter hac irregularitas tollitur, per legitimacionem factam a Pontifice, per Professionem Religiosam, & per dispensationem.

IX. Episcopus potest in hac irregularitate dispensare, si delictum Parentum sit occultum.

X. Num expositus, cujus parentes ignorantur, presumendus sit legitimus?

XI. Num, & quando in amente, ac furioso cesset irregularitas, si sanitatem recuperent?

XII. Quisnam illiteratus sit irregularis ex defectu scientiæ?

XIII. Potest Pontifex dispensare in defectu